Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



IOHAN

mundo ad patrem cum dilexisset suos
qui erant in mundo: in finem dilexit
eos. Et cena facta cum iam misisset
diabolus in cor. ut traderet eum iudas
simonis scariothis: sciens quia omnia
dedit ei pater in manus. et quia a deo
exiuit. et ad deum uadit: surgit a
cena et ponit uestimenta sua. Et cum
accepisset linteum. precinxit se. De
inde misit aquam in pelum. et cepit
lauare pedes discipulorum. et extergere
linteo quo erat precinctus. Venit
ergo ad simonem petrum: et dicit ei pe
trus. Domine tu mihi lauas pedes.
Respondit ihs. et dixit ei. Quod ego
facio tu nescis modo: scies autem
postea. Dicit ei petrus. Non la
uabis mihi pedes in eternum. Respon
dit ihs. Si non lauero te. non habebis
partem mecum. Dicit ei simon petrus.
Domine non tantum pedes meos: sed
et manus et caput. Dicit ei iesus.
Qui lotus est non indiget nisi ut
pedes lauet: sed est mundus totus.
Et uos mundi estis: sed non omnes.
Sciebat enim quis nam esset qui tra
deret eum. Propterea dixit non estis
mundi omnes. Postquam ergo lauit
pedes discipulorum. et accepit uestimenta
sua: cum recubuisset rursum dixit eis.
Scitis quid fecerim uobis? Vos uo
catis me magister et domine. et bene dicitis
Sum etenim. Si ergo ego laui pe
des uestros dominus et magister: et uos de
betis alter alterius lauare pedes.
Exemplum enim dedi uobis ut quem
admodum ego feci uobis. ita et uos
faciatis. Amen amen dico uobis: non
est seruus maior domino suo. neque apos
tolus est maior eo qui misit illum.
Si hec scitis: beati eritis si feceritis ea.

Non de omnibus uobis dico. Ego scio
quos elegerim. Sed ut impleatur scrip
tura: qui manducat panem meum le
uabit contra me calcaneum suum.
A modo dico uobis priusquam fiat: ut
cum factum fuerit credatis. quia ego sum.
Amen amen dico uobis: qui accipit
siquem misero. me accipit. Qui autem
me accipit: accipit eum qui me misit.
Et cum hec dixisset ihs. turbatus est
spiritu. et protestatus est et dixit. Amen amen
dico uobis: quia unus ex uobis tra
det me. Aspiciebant ergo ad invicem
discipuli: hesitantes de quo diceret.
Erat igitur recumbens unus ex discipu
lis eius in sinu ihu. quem diligebat
ihs. Innuit igitur huic simon petrus.
et dicit ei. Quis est iste de quo dicit.
Itaque cum recubuisset ille super pectus
ihu: dicit ei. Domine quis est. Respondit ihs.
Ille est cui intinctum panem porrexero. Et
cum intinxisset panem: dedit eum iude
simonis scariothis. Et post buccellam
tunc introiuit in illum sathanas. Dicit
ei ihs. Quod facis fac citius. hoc
autem nemo sciuit discumbentium. ad quid
dixit ei. Quidam enim putabant quia
loculos habebat iudas ut diceret ei: eme
ea que opus sunt nobis ad diem festum:
aut egenis aliquid daret. Cum ergo
accepisset ille buccellam: exiuit continuo.
Erat autem nox. Cum ergo exisset:
dixit ihs. Nunc clarificatus est filius
hominis: et deus clarificatus est in eo. Si deus
clarificatus est in eo: et deus clarificabit
eum in semetipso: et continuo clarifi
cabit eum. filioli adhuc modicum ipsum
nobiscum sum. Quaeretis me. sicut
dixi iudeis. quo ego uado uos non
potestis uenire. Et uobis dico modo.
Mandatum nouum do uobis ut diligatis